

45

TENTAMEN ACADEMICUM, De **RATIONE MEDIATOREM IGNORANTE,**

QUOD,

Adspirante Gratia Divina,

Et

Consentiente Ampliss. Senatu Philos.

In

Illustri ad Auram Athenæo,

MODERATORE

DN. CAROLO FRID. MENNANDER,

Scient. Natur. PROFESS. Reg. & Ordin.

Nec non

Reg. Scient. Acad. Svec. Membro,

Publico Eruditorum examini modeste submittere constituit

STIPENDIARIUS REGIUS

MATTHIAS RENNERUS,

ABO - FENNO.

Ad diem IX. Febr. Anni MDCCLVI.

L. H. Q. S.

ABOÆ, Imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.

JACOB MERCKELL.

à MONSIEUR

CHARLES LAGERBORG, ASSESSEUR au Parlement Roial d' Abo.

à MONSIEUR

JEAN GUILLAUME HISING,

CAPITAINE & PATRON des Mines.

MESSIEURS:

C^E m' est, je l' avoue, une grande témérité, de mettre à la tête de ce petit ouvrage des noms aussi nobles que les Vôtres; mais les motifs sont de telle nature, que je ne puis m' en dispenser. Ce qui m' y engage particulièrement c' est la reconnaissance pour Vos bontés & l' envie de mériter encore à l' avenir l' honneur de Vos bonnes graces. Prenez donc, je Vous prie, Messieurs, en bonne part la liberté, que je me donne, & permettez-moi de faire des vœux au Ciel, afin qu' il plaïse au Pere des lumieres répandre abondamment sur Toute Votre Génèreuse & Noble Famille ses sources inépuisables de graces & Vous conserver à ceux, qui comme moi, Vous estiment & Vous aiment sincèrement. Je suis avec un profond respect,

MESSIEURS

de Tous Vos serviteurs le plus humble
& le plus obéissant,

MATTHIAS RENNERUS.

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,

DN. ALGOTHO A. SCARIN,

Phil. Civilis & Histor. PROFESSORI Reg. & Ordin.
Bibliothecæ Regiæ PRÆFECTO, Seniorq; ad Academiam
hanc gravissimo.

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,

DN. HENRICO HASSEL,

Eloquentiæ PROFESSORI Regio & Ordinario,

VIRO Maxime Reverendo atque Amplissimo,

DN. SAMUELI PRYSS,

S. S. Theol. PROFESSORI Reg. & Ordinario, PASTO-
RIQUE Ecclesiæ Pæmarense Meritissimo.

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,

DN. CAROLO ABRAHAMO CLEWBERG,

L. L. O. O. & Græca Lingvæ PROFESSORI Reg.

Facult. Phil. p. t. Decano Maxime Spectabili.

MÆCENATIBUS MAGNIS.

Deprædicent VESTRA, VIRI Celeberrimi, in Rem Lit-
terarian merita alii; decantent laudes, qui me facun-
dia superant, superant autem omnes. Favorem in me
VESTRUM ego suspicio & veneror. Tantus ille fuit, ut
mirum non sit, si animus gratus atque venerabundus, ru-
ptis cancellis, quibus bucusque inclusus fuit, in publicum
prodire gestiat. Sed ignoscite, MÆCENATES, quod præ-
sentis opellae consecrationem signum illius esse voluerim.
Novum enim est beneficium, quod eidem Splendore NO-
MINUM VESTRORUM coruscare liceat; illi favere pergit,
qui pro incolumentate VESTRA VESTRORUMque vota fun-
dere non cessabit,

NOMINUM VESTR. CELEBERR.

cultor humillimus

MATTHIAS RENNERUS.

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo VIRO,
Dn. Mag. JONÆ MARTINO FRIBERG,
PASTORI & PRÆPOSITO Ecclesiæ, quæ Deo in Joma-
la colligitur, dignissimo.

VIRO Maxime, Spectabili,
Dn. NATHANAE LI WESSMAN,
Redituum per Satrapiam Aboënsiem, Bicerneburg. &c.
Administro ante hoc adcuratissimo, jam Seni
venerando.

VIRO Plurimum Reverendo & Praeclarissimo,
Dn. Mag. ANDREÆ LIZELIO,
Ecclesiarum, quæ in Pœyttis & Ylænæ sunt,
PASTORI laudatissimo.

Plurimum Reverendo atque
Dn. GABRIELI
Vice PASTORI Choralique primario Ec-
PATRONIS, EVERGETIS
quovis honoris cultu

Inter cetera, quæ præcipit Fæs Naturæ, efficia, certe
hoc uti ab omnibus in universo gentibus agnatum: ita
gationi erga Vos meae convenienter ut agam, avide præ-
bis, Patroni & Fautores, consecro. Scio munusculum-
nem tamen declarat; quæ est, ut Vestra non recompensa-
nifestata velit beneficia. Adspicite ergo hoc, quicquid est
nam gratiam perpetuamque incolu-
NOMINUM

cultor
MATTHIAS

VIRO Praeclarissimo,
Dn. Mag. JOHANNI BORGSTROEM,
LECTORI Matheos in Gymnasio Borgoënsi
dexterimo.

VIRO Eruditionis laude Clarissimo,
Dn. HERMANNO ROSS,
LECTORI Scholæ hujus Cathedralis
maxime incluto.

VIRO Plurimum Reverendo & Praeclarissimo,
Dn. Mag. HENRICO FLEGE,
PASTORI in Kimito integerrimo,
optimo.

Clarissimo VIRO,
SALINIO,
clesiæ Aboënsis Fennicæ vigilantissimo,
& FAUTORIBUS
ætatem prosequendis.

non ultimum sibi vendicat locum grati animi officium. Est
aequitati naturali quam maxime consentaneum. Huic obli-
sentem arripio occasionem, & primitias base ingenii, Vo-
boc meritis in me Vestrīs ex aſſe non respondere; intentio-
ta, id enim ſupra vires eſt collocatum, ſed tantum ma-
conaminis, fronte Serena! Meum e contrario erit, Di-
mitatatem Vobis animitus appreſcari.
VESTRORUM

obſervantissimus,
RENNERUS.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Clarissimo,

Dn. ERICO SYLVIN,

PASTORI Sæckjertvensium meritissimo,

Confobrino ut dilectissimo, ita Benefactori, quem singulari prolequamur honore, dignissimo.

Illexit tandem dies jam diu desideratus; illuxit dies, quo
Tua, Vir Plurimum Reverende, in nos merita,
Tua in nos collata publice depraedicare licet beneficia. Fue-
re, quae nobis inde a pueritia exhibere voluisti, benivolentiae
specimina non pauca, eaque non vulgaria. Tu enim
Is es, qui primas nos docuisti literas, cujusque sub auspicio
fundamenta studiorum, quibus maturiora superstruenda, ja-
cere nobis contigit. Tu es, qui nos fortunae adversae vi-
etas datus manus exhortationibus plus semel erexit, &
ad pugnam strenue continuandam excitasti; Tu denique,
supellecilem nostram non simplici vice augere, idque saepe
Tuo Ipsius cum incommodo, haud es gravatus. Quan-
tum igitur Tibi debeamus, Oedipo non opus est conjectore.
Interim quum nos officio impares deprehendamus nostro; ten-
tamen hoc quaecunque in grati animi indicium cum omni-
genae felicitatis voto Tibi oblatum volumus, quod solito
at excipias adfectu, certo certius speramus, confidimus.

Nominis Tui Plurimum Reverendi

obstrictissimus cultor

MATTHIAS RENNERUS.



Q. B. V!

§. I.

St illud plerumque mortalium vitium,
ut media raro incedant via; quin
potius alteri **extremorum** adhærere
ament. Factum hoc in primis est circa usum
rationis in Theologia (*), quem nimis exte-
nuare aliqui, imo illam ceu maxime pernicio-
sam penitus proscriptam ex Christianorum coe-
tu voluerunt (**); alii ex adverso plus eidem,
quam par erat, tribuerunt (***)�

(*) Media illa, quam hic cum sanioribus omnibus
commendamus & calcamus, via, est, ut agnoscatur ratio
& philosophia pro insigni DEI dono, utpote quæ ab
ipso veritatis & sapientiæ elogio ornatur. Rom. I. 18,
19. 1. Cor. II: 5, 6. Pro adminiculo quoque & instru-
mento interpretandi Sacram Scripturam. Non vero pro
regula ac norma, ad quam inde erutarum sententiarum
exigatur veritas.

(**) Transimus illos, qui extra ecclesiæ po-
moeria degunt, quales sunt *Judei*, apud quos Græco-

A

rum

rum in primis philosophia adeo viluit, ut sub eadem maledictione consociarent hæc duo: *Maledictus sit ille, qui alit porcos, & maledictus sit ille, qui filium suum docet sapientiam Graecam.* Baba kama, fol. 82. 2. Vid. Lightfooti horae Hebr. & Talmud. ad I. Cor. II: 6. Multi quoque in ecclesia & olim & recentius alto supercilio philosophiam contemserunt. Patrum & veterum ecclesiæ doctorum varii, quamvis eam in totum improbadam non censerent, inclementius tamen de illa tulerunt judicium; subornari nimium ejus opere hereses, illasque animari philosophorum ingenio, quos ideo hereticorum patriarchas aliquando salutant. Barbaro Scholasticorum ævo fuerunt, qui adeo ad Graecas literas & Aristotelis philosophiam naufragarent, ut hujus libros a nemine alio, quam ab Antichristo, legendos & intelligendos crederent. Conf. Morboſi polybiſt. liter. libr. I. c. II: n. 10. Theologi etiam mystici philosophiam subinde elevabant, utpote quam rixas tantum alere, & inanum speculationum esse matrem, nihil vero plane ad usum conferre, judicabant. Recentiori æate multos numerare possemus philosophiae adversarios, eosque vel theosophos, novellos prophetas, Anabaptistas, Enthusiastas, qui eam terrenam, ethnicaam, diabolicam, & impuram Jesabel, appellarent; vel qui mitius de illa locuti, usum tamen ejus, in primis in Theologia, plane tollere aggressi sunt. Sed hos brevitatis studio recensere nunc non licet.

(***) Alii, hanc Charybdin vitare volentes, in Scyllam inciderunt, & nimium philosophiae adjudicarunt pretium; adeo ut diviniores etiam literas eidem subjiciant, eam magistram quasi Theologiae constituant, & ipsa religionis nostræ mysteria esse rationi pervia contendant. Fuere, qui philosophiam gentilium, in primis Platonicam, conve-

convenire cum Theologia Christiana, & instituta comparatione, conciliari posse perhibuerunt. Ita in Platonis scriptis profundissimum Trinitatis Mysterium se invenire credunt. Cumque idem in Alcibiade Illo afferat, *exspectandum esse*, donec ab aliquo discatur, quemadmodum ad DEOS atque ad homines habere se deceat; & alibi: *Deorum filii esse credendum, quanquam nec signis utantur, nec ulla necessariis demonstrationibus*; neque Servatorem venturum, neque necessitatem fidei ad salutem illum ignorasse, inde arguunt. Medii ævi doctores scholasticos eousque progressos fuisse, ut sacra dogmata ad leges scholæ philosophicæ exigerent atque dijudicarent, nemo ignorat; aut Socinianos Calvinianosque, & rationalistarum hodiernam farraginem, in eodem agrotare valitudinario, ut rationem plus, quam licitum est, extollant. Neque enim nostro, quo vivimus, ævo, omnes denati, qui, felicitati ingenii nimium indulgentes, eorum, de quibus ratio sibi relicta vix somniare quidem valet, non possibilitatem modo, verum necessariam etiam actuallatera, ex hujus Egeriaæ armamentario sumtis argumentis, non probabiliter, sed apodictice evictum ire audent. Comprobant hoc ipsum recentiorum Philosophorum illi, qui ex ratione sibi demonstrandum sumserunt, Deum non potuisse non genus humanum, per lapsum infelix factum, pristinæ restituere felicitati, h. e., Mediatorem Eundem mortalibus necessario dedisse; quiq; insuper Mediatoris hujus requisita rationem perspicere posse docent. Quo vero ex fundamento, quaque cum certitudine hoc ab illis fiat, pro instituti ratione paucis erimus exposituri.

Prius vero, quam ad nodum hunc multis difficultatibus involutum extricandum, summa temporis angustia constricti, nosmet accingimus, Tuam, l. b. expetimus benignitatem mitioremque censuram.

§. II.

NOcum supponimus esse omnibus, qui vel tantillum literis operam dederunt, & levissimis hisce attentionem adhibuerint, quid per rationem, quid per Mediatorem intellectum velimus. Id autem primo agunt hi philosophi, ut necessitatem Mediatoris esse rationi cognitam evincant. Est vero necessarium (*), cuius oppositum infert contradictionem, vel, ut alii loqui amant, quod unico modo est determinabile.

§. III.

(*) Est hoc vel ejusmodi, ut contrarium in se & sua natura repugnet, id quod absolute & simpliciter necessarium dici sivevit. Vel quod in se est contingens, posita vero certa aliqua conditione, aliter esse non potest. E. g. Sol: in meridie splendente, necessario lux & calor cum Planeticolis communicantur. Haec species necessarii alioquin audit hypothetica, quæ pro diverso conditionum genere diverso accipitur modo. Vel enim oritur ex conditione antecedente, quæ duplii se habet ratione, aut influxive, aut minus; vel consequente, quo pertinet tritum illud: Factum infectum fieri nequit, vel etiam concomitante, quo modo omnia praesentia dici possunt necessaria. Non illam, puta necessitatem absolutam, sed hanc, scilicet hypotheticam, eamque ex conditione influxive antecedente ortam, arripiunt, qui DEUM necessario genus humanum sibi reconciliasse ex ratione demonstrare se posse non desperant.

Conditio, sub qua cognitionem necessitatis Mediatoris rationi adserum ire solent hi philosophi, & ad quam, tanquam sacram contingunt ancoram, *Bonitas est Divina*. Contendunt nimirum, hominem a summo Numine eum in finem, ut æternum felix esset, creatum; adeoque in statu integro ab initio, percipiente idem ratione, positum fuisse urgent, inde vero propria culpa lapsum. Jam cum idem suo Marte suisque viribus nihil, quam quod DEO displiceat, facere se posse, adeoque æternum, infelicem futurum, videat; non potest non, inquietunt, DEUS, salva Bonitate sua, homini, qui rem ipsius penes se agat, h. e. Mediatorem concedere. Cujus vero hæc sint roboris, agite, ex promisso penitus rimemur (*).

(*) Ne sinistra aliqua subeat iudicia opella hæc nostra, bina in antecessum & generaliter monenda ducimus. Primo, illam neutiquam eo tendere, ut conditionem omnem pædagogicam, qua ex miseria suæ, viribus propriis non tollendæ, conscientia, ad revelationem quærendam alliciatur, a ratione sibi relictâ abjudicet. Non enim tollitur illa pædagogia, dum eo adigitur ratio, ut tenebras suas circa conveniens cum DEO reconciliatioonis medium fateri cogatur. Deinde quam longissime
a no-

a nobis abesse jubemus, ut pugnam aliquam veram inter rationis principia & diviniorem scripturam commiscamur. Id saltim ostendimus, sublimi huic negotio, de quo agitur, capiendo non sufficere rationis vires, sed illam potius heic variis involvi perplexitatibus, & difficultates nectere, quas ipsa solvere nequit; quae tamen, accedente divina revelatione, tolluntur, & nullam inter hanc & rationem dari contradictionem, manifesto patet. Possunt etiam cum dogmatibus revelatione patefactis præmissæ & principia evolvi; sed an ideo hæc, ubi conclusio ipsa est theologica, rationi sint tribuenda, ceu volunt novaturientes, id quidem aliis dijudicandum relinquimus.

S. IV.

Rationem sibi relictam perspicere posse pri
mænum felicitatis statum, in primis quod ad formam (*), hominemque propria inde excidisse culpa, qui docent, veritatem tristissimi hujus: Bonum est naturæ, dum alter erigit Et sustinet caput, testari nobis videntur (**).

(*) Hanc rem ejus plane esse indolis, ut demonstrationem respuat, quilibet videt. Est enim ex ordine contingentium, quorum nullus a natura nexus necessarius, seu res facti, quæ solis nititur testimoniis; ea vero extra scripturam nulla sunt.

(**) Loricæ instar nobis opponunt scripta gentilium, in quibus varia contendunt dari, quæ statum hominis primum concernunt. Ast contendunt tantum, non vero

vero probant. Non enim sufficit, quod usia alterave
 fabula eo trahi possit, qvum dubium adhuc, utrum
 Poëtarum, quos præcipue a suis stare partibus existi-
 mant, sententia cum interpretationibus Criticorum con-
 veniant, maneat. Sed largiamur, inveniri talia apud pro-
 fanos veteres. Non extant hæc in scriptis gentilium qua-
 talium, sed vel per traditionem oralem inde a Noachio
 in posteros ipsius propagata sunt, vel etiam ex consve-
 tudine cum Judæis, hæc didicerunt. Quod si argumen-
 tum exinde, quod in scriptis gentilium interdum legan-
 tur ea, quæ statim forte primum tangunt, peti posset
 ad evincendam ejus notitiam rationi, multa omnino, quæ
 nemo facile ex ratione probanda sibi sumferit, pari
 certitudine ex scriptis eorum eruere possemus; e. g.
 lapsum satanae; quod serpens fuerit medium seductio-
 nis Hevæ; Sacrificiorum necessitatem; Sabbathum se-
 ptima die celebrandum, cetera. De his itaque egre-
 gie judicat Augustinus Lib. II. de doctrina Christiana: Pbi.
 Iosephi gentiles, si quae forte vera & fidei nostræ accom-
 moda axerunt, ab eis, tanquam injūsi possefōribus, in u-
 sum nostrum sunt vindicanda; sicut Ægyptii populo exeunti
 vestem vasque aurea & argentea, quibus non bene uteban-
 tur, precepto DEL commodabant. Quid vero dicendum
 de corruptionis sponte contractæ sensu, quem tanto ur-
 gent opere omnibus notum? Pro judicio sensuum vendis-
 tant caussas ipsas ex Scriptura notas. En artificium non
 vulgare! Quin penes se quisque deprehendat inclinatio-
 nes pravas, tarditatem ad bonum, facilitatem ad ma-
 la, non negamus; sed quæ sit ratio formalis status hu-
 jus corrupti, quæ causa realis corruptionis naturæ, nemo ex
 ratione perspicere valet; quare non ulterius progreditur, quam
 ut animadvertis, mutationem aliquam factam in homine es-
 se,

se, cœu judicat *Walshius Lex. Pbit.* p. 892. Quomodo per lapsum habitus malus ortus sit, isque hereditarius, illiusque corruptionis profunditatem, vel, verbo uno, peccatum originale, ignorat ratio. Fatemur quidem, esse gentilium documenta, quæ de illo loqui videntur, utpote illud *Pythagoræ*, in *carm. aur.* v. 59, 60.

*Λαυρὴ γὰρ συνοπαδὸς ἔχει Βλάπτυτα λέληθε,
Σύνφυτο, τὸ δὲ προσήγειν, εἰκονία δὲ Φένυξ.*

Ubi malum hoc non σύμφυτον modo vocat, sed etiam συνοπαδόν, adeo ut Paulum imitari videri posset, cui παρακείμετον dicitur. Rom. VII. 21. Sed redeunt tamen omnia eo, vidisse eos naturæ humanæ proclivitatem ad mala, caussam vero & mali interiorem indolem ignorasse. Hinc nuper citatus *Augustinus*, cum Ciceronem induxisset dicentem: *Hominem non ut a maire, sed ut a neverca natura editum esse in vitam, corpore nudō, fragili & infirmo; animo anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; mox subjugit: Non hoc auctor iste male viventium moribus aixit effectum, sed naturam potius accusavit.* Latebat enim eum, cur esset grave jugum super filios Adam, quia sacrissimis non eruditus ignorabat originale peccatum. Cum itaque morbi sui vim ignoret ratio, qui poterit medicinam ad illum tollendum sufficientem perspicere? Philosophos vero caruisse distincta corruptionis hujus notitia, vel ex diversitate opinionum de origine mali patet. Superba igitur est, merito exclamat *Reussius*, illa, quæ quod suum non est, sibi tribuit, ratio! non vult ancillari, sed regnare.

§. V.

Eluso, quo utuntur dissentientes a nobis telo primo,

primo, alterum ordine retorqueamus, necesse est, quo pateat facilior ad summam propositi via. Contendunt, neminem dari mortalium, qui non sponte confiteatur, saltim ope rationis videre possit, leges naturales vario a se violatas esse modo; unde non possunt non poenitentia ex conditione læsi aestimandis, h. c. infinitis, esse obnoxii. Quibus si liberandi erunt, satis factio quoque infinita præstanda. Quod re ipsa mortalium omnes iræ divinæ sint subjecti, quamdiu nulla præstata fuerit satisfactio, non largimur solum, verum contendimus etiam. Interim rationem sibi relictam ad tales, quem ipso urgent, hujus rei notitiam pertingere posse, non faciles concedimus. Quid enim obstitisset, si ita res esset comparata, quo minus veritas hæc priscis temporibus acumini mortalium fuisset pervia, cuius tamen ne vestigia quidem in antiquorum scriptis comparent (*). Nec mirandum, quod rationem hæc lateant; ignota enim ei, præter alia, indoles intimior & origo mali. Unde se excusatum censet homo (**), saltim non felicitate privandum omni judicat (***)�.

(*) Proficuum his philosophis esse potest D. M. Cœmnitii consilium: Ciceronis tres de natura Deorum libros in manus sumamus; tum enim ex collatione illorum, et nostra doctrinæ, evidentissime cognoscemus, quanta gentilium, etiam sapientissimorum, tenebra de Deo fuerint, & quanta lux divina grata per verbum revelatum sit nobis communicata, quantas Deo debeamus grates.

(**) Qui hoc ipsum negant, probent si valeant, rationem unquam postulasse ad felicitatem virtutem omnibus numeris perfectam. Veremur autem ne fateri cogantur, omnes a natura ita comparatos, ut cogitent id ipsum, quod barbaro continetur versu: Ultra posse viri non vult Deus ulla requiri. Ad doctrinam de virtute Stoicorum si quis provocaverit, ad Ciceronem eum ablegamus, qui Philosophandi genus illud sensuit quoque repugnare dixit.

(***) Potius eo propendere videtur ratio, ut quæ contra legem naturæ facta fuerint, vel levia esse peccata, vel graviora delicta, asserat, & utriqve generi, pro diversa indole sua, diversas quoque poenas constitutas credat. Propter minoria peccata non in adeo magnum poenam reatum quem incidere posse; tanto minus, cum ex necessitate naturæ hæc se fecisse existimet. Quod ad graviora attinet, ita natura corrupti sumus mortales, ut vel atrocissima etiam delicta, quamdiu nobis relieti sumus, sub infirmitatis pallio tegamus, nec non a parente terrestri absq; satisfactione filiis remittente ad DEUM concludamus. Adeoque si vel maxime poenam se manere credat homo naturalis, non tamen omni se exuendum felicitate facile persuaderi sibi patitur. Hoc qui inficias ire fatagit, suam sibi experientiam reclamantem necesse est animadvertat. Hinc Opurinus: *Quis credat, homini per vires suas ita innotescere peccati fæditatem, ut illud sempiterno reatu fædum sibi persuadeat?* Tract. de docta Ignor. p. 79. & Lutherus: *Absurdum manet { ratione suæ dice }*

dice) ut DEUS ille iustus & bonus exigit (a liber. arbit.) impossibilitia, & cum homo [lib. arb.] non possit velle bonum, necessarioque peccato servias, tamen imputet ei. Haec dictabit ratio non esse boni & clementis DEI. Superant nimio captum illius, nec captivare sese potest, ut credat bonum esse DEUM, qui talia faciat & judicet, sed palpare, videre & comprehendere vult, quomodo sit bonus & non crudelis. Comprehenderet vero tum, quando sic de DEO diceretur: Neminem damnat, sed omnium miseretur. Libr. de libero Arbitr. c. 145. p. 213.

§. VI.

Caput rei ut jam aggrediamur, instituti exigit ratio. Quin bonitas Deo competit, prater atheum nemo dubitat, saltim dubitare nemo deberet. Sapientiam vero, & Sanctitatem, quæ omnem excludit imperfectionem, qui Ens infinitum Eundem agnoscunt, Eidem simul tribuant, oportet. Admissis his attributis, Justitia DEO denegari non potest. Vi enim Bonitatis suæ creaturis pro receptivitate illarum perfectiones conferre quidem satagit summum Numen; ast quia ob Sanctitatem nihil potest velle, quod Perfectiones infringat suas; patet, idem Numen altissimum, suum cuique tribuendo, Bonitatem perfectissima administrare Sapientia, & servare voluntatis constantiam, agendi id, quod rectum est, h.

e. quod cum ejus essentia & perfectionibus necessariam intert congruentiam. Hoc autem qum sit justum esse, apparet asserti veritas (*).

(*) Cum justitia hac divina, quæ suum cuique trahit, vix conciliare poterit ratio revelatione destituta translationem reatus & pœnae in Mediatorem, si ad illum cogitara sua attollere posset. Hinc ipse Schubertus, quamvis inter rationis admiratores haud postremus, fateri tamen cogitur, rationi manere impervium, utrum sapientiae divinae convenientius sit, homines ipsos pœna plectere, vel Mediatorem illis decernere; latere etiam eandem, an sit persona, munaeri huic idonea, possibilis. Überzeugender beweis, daß die Chriftilche Religion die wahre sey. §. §. 310. 311.

§. VII.

Posita Justitia Divina, consequitur, ut non possit eodem modo se gerere aduersus illos, qui bene agunt, h. e. legi & voluntati ejus conformiter vivunt; & qui malo operam navant, i. e. voluntati ipsius aduersa committunt. Si enim indifferenter actiones hominum qualescumque resipiceret, & Sapientia ipsius excluderetur, & Santitas voluntatis, qua omne bonum appetit & omnne malum averatur, jaclaram faceret. Exercet ergo DEUS Bonitatem, si fuerit ratio sufficiens bona creaturis conferendi; sin vero minus, exercitium

ercentium Bonitatis suspendit. Jam vero nulla a parte nostri adest ratio, DEUM ad Bonitatis exercitum permovens (*); ergo neque injustitiae accusandus, si lux misericordiae aeternum relinquat mortales.

(*) De industria diximus: *a parte nostri*. Nam ignotum omnino rationi, utrum DEO reservata sit ratio aliqua, qua motus hominis miseretur. Cognovit DEUS aeterno, h. e. prius, quam ulla extitit creatura, totum universi hujus nexum futurum, vidit consequenter hominem in tempore creandum a se defecturum; nihilominus eundem creavit, & licet lapsus illius impedire potuisset, eundem tamen permisit. Si igitur Bonitas Divina, ut hoc ipsum præveniret, obligata non fuerit, unde quæso! ex post facto eidem obligationem impositam, ut genus humaanum in devia a recto tramite aberrans per Mediatorem pristinæ restitueret felicitati, concludet ratio? Mors temporalis & aeterna infœcta est transgressionem legis Paradisaicæ, id quod nos ex oraculis sacrâs notum supponimus; illa cum suis prodromis salva Numinis Bonitate etiamnum nos manet; de hac cur non idem dicendum, quod scilicet absque jactura Justitiae & Bonitatis Divinae eandem quoque homo sustinere potuisset? Sicut nulla DEO injunctiona fuit obligatio atque necessitas, nos cum majoribus nostris a semita vita dilapsos, praे ceteris gentibus, quæ hodienum in tenebris versantur, mediante revelatione, revocandi; ita neque injustum eum, nisi quis perdite improbus, dixerit, si aut nunquam viam hanc nobis monstrasset, aut in pristinum nos dejici pateretur statum ethnici. Quod autem de nobis in specie valet, idem de toto

toto genere humano valere facile quisque videt. Et quod de necessitate revelationis dici potest, ad necessitatem Mediatoris non male applicari nemo negabit; quia eodem ferre res reddit.

§. VIII.

Ast dicunt adversarii: Bonitas DEI est summa. Concedimus hoc ipsum; contendimus vero iuxta, Sapientiam quoq; esse summam, quæ Bonitatem ejus in omni casu administrat, & justitiam perfectissimam, quæ effectus utriusq; reddit determinatos (*). Hinc, quid sit contentaneum Sapientiæ & Bonitati Divinæ, & quousque placeat iisdem, in regimine rerum humanarum, progredi, non facile pervidere, nedum certo determinare valet aliqua vis ingenii humani (**). Arrogans itaq; nimis illud esse intellectus finiti tentamen nemo non videt, dum DEUM ad suum captum in Bonitate & Sapientia exercenda adigere, ejusque jura Majestatica invadere & violare conatur (***) .

(*) Effectus Bonitatis & Sapientiæ Divinæ determinari diximus; non eo sensu, quasi limitibus circumscribentur hæc ipsa DEI attributa; repugnat enim id eorum infinitudini. Sed ita, ut majori se non exferat gradu Bonitas, quam unaquaque creaturarum pro Sapientia Divina suaque ipsius receptivitate capere potest.

(**) Percipit quidem ratio, quod DEUS, quatenus volun-

voluntate gaudet perfectissima, omne bonum appetat pro gradu bonitatis, consequenter quod in suo genere optimum est, maxime; ast non eadem facilitate perspicit ratio humana, quodnam sit optimum. Posito, quod interdum in singularibus cognoscat, quodnam ceteris præferendum; nexuum tamen totalium ne unicum quidem perfecte novisse ipsi datum est, ne dum, quis omnium optimus sit, videre. Evenit illud sapientius, ut nexus aliquis absolute spectatus, videatur optimus, respetive vero consideratus talis non sit. In respectu tamen ad reliqua omnia in nexus judicandum est totali. Quamdiu igitur ratio sibi recta nexus hunc, restitutionem scil. generis humani cum suis consequentiis a priori optimum esse apodictice probare nequit, tamdiu æque parum necessitas Mediatoris ab eadem perspici potest, quam valet proletarius quis, ex bonitate & clementia Imperatoris alieujus prudentis, monstrare, id necessario fore, ut per Intercessorem series quædam maleficorum, capitis damnatorum, pœnis liberetur suis, licet nexus ipsum rei illius publicæ plane ignoret, rationesque Imperatori reservatas nesciat. Idem hoc innuit *Ribovius*, dum dicit: Wir können nunmehr, da wir es aus der Offenbahrung wissen, daß Gott der Menschen Seeligkeit befördern wolle, wohl schließen, daß dieses Gott ansäsig sei: Allein wenn wirs nicht daher wüsten, könnten wir nicht die Folge aus den Göttlichen Eigenschaften mit Gewissheit ziehen, daß darum es geschehen müsse. Grundl. Beweis, daß die geoffenbahrte Religion nicht könne aus der Vernunft erwiesen werden, §. 74. *confr. Schuberti Philos. Pract.*
e. II. p. 38.

(**) Non negamus, posse nos ex ratione quid de attributis quibusdam Divinis in conceptu eorum generali differere, quidque ipsis conveniens sit, judicare; cum vero

ad specialiora sit transitus, cacos nos confiteamur, ne-
cessere est. Decet hoc ipsum nos ceu Christianos eo ma-
gis, cum & gentiles olim docuerint, *nunquam nos vere-
cundiores esse debere, quam cum de DEO agitur, ne quid te-
mere, imprudenter aut ignoranter adfirmemus.* Probavit hoc
suo exemplo Euclias, dum a quodam interrogatus de spe-
cialioribus, quæ DEO quoad essentiam & attributa com-
peterent, respondit: *De his nihil dicere possum; id tantum
scio, quod DEUS irascatur hominibus curiosis, quales su-
tui similes, qui scire vultis arcana.*

§. IX.

Sed non in eo subsistit horum philosophorum
perspicacia, ut solam Mediatoris necessitatem
rationi sibi relicta cognitam opinentur; verum
insuper, quodnam & quale sit medium recon-
ciliationis nostræ cum DEO, eam investigare &
determinate posse docent, & ipsam Servatoris
DEI incarnationem, mysterium illud, teste A-
postolo, ὁμολογώμενος μέγα, perspicere. Ita vero
rationes subducunt: Cum impunita peccata ho-
minum, quorum tamen misericordia volt, dimittere
nequeat DEUS, adesse unicum medium, ut ni-
mirum illis substituatur vicarius, qui illorum lo-
co poenas patiatur, & legi perfectam obedien-
tiā agendo præstet. Hujus hæc volunt esse re-
quisita: ut ipse & a peccato & ab obligatione
legis

legis sit immunis, utque polleat intellectu infinito; unde arguunt, solum DEUM posse esse hominum vicarium (*). Sed cum Sanctitate DEI plane sit indignum, quatenus DEUS est, pro auctore peccatorum haberi velle, debere Mediatorem assumere naturam finitam & passibilem, & quidem convenientissime humanam (**).

(*) Possidet quidem DEUS ista requisita summo in gradu; sed quod vicarius hominum fieri voluerit, aut velle potuerit, & peccata hominum sibi imputari passus sit, id ratio sibi relicta non videt; sed potius judicat, ejusmodi imputationem, quæ involvit declarationem pro auctore facti vel peccati, Sanctitati divinæ, excludenti omnem imperfectionem, penitus repugnare. Et si vel unitus fuerit naturæ finitæ vel humanæ, quarum tamen diversissimarum essentiarum unio longissime transcendent omnia rationis cogitata, suppositum tamen illud retinere concipitur perfectiones, quibus ante unionem erat præditum, & in illis sanctitatem immensam. Hinc character ille, qui DEO ob sanctitatem judicabatur indignus, ut pro auctore peccatorum haberi voluerit, etiam vicario, ex divina & humana natura composto, manebit, judice ratione, indignus. Porro quis sanæ mentis contendere audebit, rationis decempeda posse cognosci, mundi peccata potuisse DEO imputari, illæsa illius sanctitate; illum pœnas subiisse infinitas, salva beatitudine; eundem reum comparuisse, non deposito judicis officio? Nec ratio satisfactionem a vicario, qui DEUS esset, præstandam concipere potest, nisi ponat unum in divinitate, cui satisfactio erit exhibenda,

alterum, eam exhibentem. Ast quomodo hinc ratio, plurimatatem personarum divinarum ignorans, se extricabit?

(**) Carea hoc ipsum tantum monemus, vix & ne vix quidem solius rationis vires eo adscendere, ut certo adferre valeat, poenas hominum DEO immorigerorum animabus corporibus suis unitis esse infligendas. Illas parcius infligi in hac vita scena, mala saepe bonis, malis bona hic evenire, perspicimus, adeoque plenario justitiae divinae exercitio in alia vita futurum locum. Et huic fini videtur sola perennitas animae, qua peccati fides est, ex rationis judicio, sufficere, in primis cum resurrectionem corporum certo futuram ipsa demonstrare non valeat. Nonne vero inde concludet, audiens haec philosophemata, suffecisse ad Mediatoris munus, ut animae humanae, non vero simul corporis, naturam finitam induisset. Ostellent omnia, quam parum, imo quam nihil valeat ratio in indagando & determinando hoc Mysterio.

§. X.

Ita personam ipsam Mediatoris investigare, & modum insuper, quo ad communionem beneficiorum per Eundem acquisitorum, pervenendum, ex rationis principiis declarare velle, est non hominem modo integrum (*), verum angelos etiam superare cupere (**); Theologiam & Philosophiam confundere (***) ; Naturalismi speciem novam, saltum indirecte, commendatum ire (*); Scripturam Sacram si non rejiciendam, tamen Philosophiae haic ultra modum sublimi postponen-

ponendam judicare (**). Adeoque viri cujusdam Celeb. querelæ olim effusæ jam repetenda causam subministrant hæc conamina justissimam (***)�.

(*) In statu primævo eodemque felici, cuius nobis ex revelatione notitia, nec mysteria penetrare potuit communis omnium nostrum parentis ratio. Qui itaque fieri potest, ut in statu, qui nunc est, summa imperfectionis, summa ignorantiaz, plura pervestigare quis possit; nisi eundem aut re supereret vera, quod tamen vix credibile; aut aliunde instructus superasse videri velit?

(**) Quod & Angeli hujus reparationis modi notitiam habuerint nullam, ex sacra clarum est pagina. Minimums hic verborum Oporini in Tract. supra citato allatorum, p. 84. 85. & 89. *Quis ostenderit, Christum non posuisse Θεαγγελον esse, & sic genus humanum redimere voluisse? Quis dixerit, Θεανθρωπον ob principia rationis debuisse redemptionem peragere? An a convenientia ad actum patet consequentia? An Christus naturaliter est notus.* item b. Lutheri Libr. cit. p. 192. *Quomodo ratio cogitaret necessariam esse fidem in Iesum Filium DEI & hominis, cum nec bodie capiat, nec credere (per se) possit, eti cora creatura clamaret, esse aliquam Personam, quae simul DEUS & homo sit? Sed magis offenditur tali sermone.* Caveant ergo, qui hodie præ ceteris facuti videri volunt, ne in ipsos quadrat, quod extat penes Walcbium: (Lex. Philof. p. 311.) *Vis veritates manifestare, & incidis in errores; vis acumen ingenii ostendere, & specimen tamen humanae infirmitatis declaras.*

(***) Differunt in eo Theologia & Philosophia, quod naturalia media imperfectionis qualitercunque sub-

levandæ & emendandæ suppeditet hæc; illa vero perfecta supernaturalia, quæ posteriora ratio non magis scire potest, quam novit illa a priori, *Lutherum Heroa aliquando depravatæ religionis fore Reformatorem, & ejusdem orthodoxi DEUM colendi modi in Germania depresso Vindicem futurum Magnum Illum GUSTAVUM ADOLPHUM.*

Si verum illud, uti omnino verissimum, quod Theologia revelata, demtis Mysteriis, nil nisi Theologia Naturalis evadat; quis non videt, limites migrare & utramque confundere scientiam omnem illum, qui mysteria penetrare lumine se posse jastat naturali. Concludimus ergo cum Buddeo: *De hoc mysterio, nimirum incarnationis, ex revelatione divina certiores facti, merito inde colligimus, summam Numinis esse φιλανθρωπιαν, & hanc DELLM vel maxime decers. Ipsam vero incarnationem Mediatoris, quod aut facta sit, aut fieri debuerit, aut quo modo facta sit, ratio plane ignorat. In Animadvers. in P. Chauvini libr. de Religione nat. c. VII. §. 9.*

(*) Omnis vera Revelatio continere debet ea, quæ per naturam nota non sunt. Est enim complexus Mysteriorum, quæ supra vires nostras posita esse concedent omnes. Jam vero, si ratio Philosophorum novaturientium, quæ contineat revelatio, novit; sequitur, aut nostram, quam habemus a DEO immediate revelatam salutis consequendæ viam, non esse veram & perfectam; aut religionem naturalem pari cum revelata ambulare passu. Ast ut impium est prius, ita falsum posterius; interim ut diximus, ex doctrina illorum illud sequitur.

(**) Si ratio talia cognoscat, relinquitur tractatio Sacri Codicis, - ut minus necessaria. Tum exulabunt operationes DEI immediatae, atque ideo nec Sacra Oracula, nec Mysterio-

teriorum revelatio ex ullo immediato & speciali concursu pendere ac proficisci poterunt; inquit Reussius.

(***) Conqueritur ille, quod suo ævo apud Christianos Mysterium Trinitatis in Scholis Metaphysicis tractari cœptum fuerit, disputari Philosophice de unitate Personæ in Christo; de Filii DEI ex patre nativitate; de processione Spiritus Sancti, aliisque Mysteriis divinis, omnem captum humanum longissime exsuperantibus. Quæ omnia non possunt non Summam DEI lādere Majestatem,

Cui. Soli. Tamen. Tribuenda.

Laus. Honor. Et. Gloria.

In. Secula. Nunquam.

Terminanda.



Då Herr AUCTOREN utgaf sit första mycket berömliga Academiska arbete;

Et härligt ting, en ljuvlig sak thet wif'lig blir och är,
Beständigt Wisdom, Wett och Dnygd af hjerlat hafwa kär;
Ty den sig härom lägger winn, han all besvärlighet
För idelt nöje anse kan, och e af oro wet.
Han far dock fort, fast lyckan ej uti hans segel blås;
Han hoppas, om han sänkes ned, han åter wedersäss;
Han wet hans del är i behåll uti Förbryrens fawn,
Som honom stal i sinom tid förflyxa til god hamn.
Bid det han såleds nögder år, och gjör chwad han kan,
Och hwad hans sista fordra mānd', han GUD och hwarje Man
Behaglig år; och äsven stal i rättan tid få se,
At stor belöning wiserlig mānd' himlen honom te.
Det samma jag nu EHRE min BROR, båd' önska wil och spår,
Som icke fruktlös lätit gå förbi EHRE ungdoms währ;
Fast mera stådse tagit til i lärdom, sed och dygd,
Det mitna mäst' ovän, som wän, i Staden och på bygd.
Jag tiga må EHRE nögda mod, och oförtrutenhet,
At med tung börrda flättra up för Bergets slirighet;
Ja, hoppet EHRE at komma fram öfver det wida haf,
Der mängen mist sit ankar-tåg, och seglat så i gwas.
Men önska så ock spå en sak hwad gjörs dertil behof,
När mas som häst nog tydligt ser deraf et jälkt prof?
Lef dersör' säll, Min BROR, lef säll, nu och i allan tid,
Tils J på lefrads qmollen EHRE undfān en ewig frid!

Vitrade haledes sin wålmening

JONAS FREMLING,
Aboensis.

